

neutiquam tamen sua tensione, neque tremulo suo tenore, sunt enim molles (i): sed vi forfitan fluidi cujusdam celeriter mobilis; quod cum fit tenue, per eos utique transit, visum et tactum effugiens, meatus occultans et fluxum perpetuum ab illo assumens (k). Multa enim vasa cerebro circumjacent, quae ingentem copiam sanguinis ad illius machinam ferunt, non aliam ob causam, nisi ob hujus excretionem (l); ut experientia convincit et ratio structuræ trium illorum, nervorum etiam exortus, eorumque insitio, et mollis omnium indoles.

§. 5. Machinae vero seu structuræ fundamentum est (§. 4.) fibrarum muscularium flexibilitas, earumque alternativa contractio et distensio, ac reciproca flexio et tensio; id quod vis musculorum elastica est (m), contractio etiam, et earundem irritabilitas (n); arteriarumque et ipsius cordis pulsatio, quam systolem et Diastolem voces; Motus peristalticus tortuosorum intestinorum. Tensio firmissima tendinum

o

qui

---

(i) id. ib. §. 388. (k) id. ib. §. 389. sequ. id quod vim vitalem nominare videtur Gaubius. ib. §. 170 — 185. (l) Hal. ib. §. 339. (m) id. ib. §. 402. sequ. (n) id. ib. §. 408. sequ.